



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Decretvm XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

validatione ejusmodi matrimoniorum ad Nos
recurrant.

DECRETVM XXIII.

Graues ad Nos delatae querelæ, prout in ipso visitatione invenimus, valde gravari Ecclesiæ ab Archidiaconorum Commissariis. Hinc, ne deinceps subditis aut Ecclesiæ graves sint, volumus, ut, si sumptus trium aut ad summum quatuor Dalerorum Imperialium pretium excedant, non ex bonis Ecclesiæ, pauperum, & patrimonii Christi, sed ex mulctis acceptis, deinceps præstent. Prout defuper Archidiaconorum & Commissariorum conscientias oneramus.

DECRETVM XXIV.

Si alicubi hactenus moris fuerit, festo Corporis Christi, aut Patroni, vel Dedicatio- nis Ecclesiæ, haberi convivia & comportationes, eæ tollantur; &, ne sumptus accrescant, idcirco volumus, Pastori, ædito, ludimagistro, ædilibus, hactenus ad dicta convivia ire solitis, dari certam ex redditibus Ecclesiæ pecuniam; quam cum Pastore determinabunt Decani.

DECRETVM XXV.

Cvm in visitatione adverterimus, Parochorum & Beneficiatorum Curias plurimas aut collapsas aut ruinæ proximas; ea propter ferio mandamus Decanis, tam Cathedralis & Collegiarum, quam ruralibus, ut, juxta Constitutiones Synodales, anno M D C XXX, cap. vi, editas, curias visitent, & reliqua, dicto capite de visitatione & Synodis privatis sancita, diligenter obseruent.

DECRETVM XXVI.

Cvm Archidiaconi oculi sint Episcopi, in quos ille suas curas declinet; hinc folcite curent, per se ipsum visitare curæ suæ commissos; si quando tamen occupationum necessitas eos præpediat, per nullos alios experiri suas vices curent quam eos qui à Nobis admissi fuerint; prout in nupera Synodo statuimus.

DECRETVM XXVII.

Cvm in Synodis prioribus, in certas regiones & Decanatus Dicecesin nostram diviserimus, interea vero appareat, eos, tam ob temporum varietatem, quam ob Parochiarum quarundam magis opportunum situm, non nihil immutandos esse; sequentia, hac super re, statuimus; reliquis in suo vigore man- furiis.

Ad primum itaque Emßlandia, cis Amifin situm, Decanatum, spectabunt sequentes Parochiæ & Capellæ:

Hafeluna.	Herflacke.
Bockelo.	Sogelen.
Berssen.	Laten.
Holte.	Borgel.
Werlte.	Wahen, Capella.
Lorpe.	Fresenberg, Capella.
Decanum.	vero nominamus D. Engelbertum Moseler, Pastorem Hafelunensem & Canonicum Wildeshusanum; Camerarium vero Dominum Everhardum Ioannis, Pastorem in Bockelo.
Ad secundum verò, trans Amifin potissimum situm, Decanatum, spectabunt sequentes Parochiæ:	
Meppen.	Rhede.
Aschendorff.	Steinebiel.
Hesepe.	Dorp.
Wesewe.	Geist, Capella.
Haren.	Groten Wullen, Capella.
Landecke.	Heede.

Decanum verò nominamus R. P. Albertum Albachten, Ordinis S. Benedicti profes- sum in Iburg, & Pastorem Meppensem; Ca- merarium autem D. Ioannem Wesselinck, Pa- storem in Haren.

Cum varet Decanatus Vordenensis, ibidem designamus in novum Decanum R. P. Ioan- nem Zurstrassem Societatis Iesu, Pastorem ibidem.

Mox subjunxit Secretarius: Accedant igitur & solitum præstent juramentum Decanorum ruralium, qui de novo ad hoc officium sunt promoti. Quod ipsum, tacitis SS. Evangelis, emiserunt omnes ii, qui ad novum officium sunt promoti, aut certè antehac idem non præstiterant.

DECRETVM XXVIII.

Omnes & singuli ludimagistri & ædi- tui, à quoque confituti, non prius ad officium admittantur, quam per Nos aut per Nostrum Vicarium approbentur & fidei professionem edant.

DECRETVM XXIX.

Cvm, multa ab Ecclesiis abalienata, & à potentioribus detenta esse, deprehen- dantur; eum in finem Officialem Nostrum de- terminamus, qui ex speciali Nostra commis- sione, præter communem juris ordinem, sine strepitu judicii, de plano, inspecta sola facti veritate, rem totam cognoscat & decidat; pro Actore verò, seu Recuperatore, Franci- scum Wennemarum ab Ascheberg, Canoni- cum Collegiatæ Ecclesiæ S. Ioannis Osnabru- gi; qui, bono zelo ductus, pro moderato sa- lario

lario ipsis infervet; ad quem proinde omnes, tam Parochos, quam Ecclesiarum Provisores, recursum habere volumus.

DECRETVM XXX.

Monentur omnes Religiosi, tam Patres Monialium, quam aliis in Parochiis constituti, ut in habitu & tonsura regulari semper incedant, minimeque se à regulis absolutos esse existiment; & Patres Monialium curen̄t, ut, singulis diebus Virgines Sacrum audiant. Volumus deinde, ut, servata Concilii Tridentini constitutione, ter in anno offerant Monialibus confidendi libertatem, iis Confessariis, quos Nos, aut Vicarius Noster, singulis Monasteriis designaverimus; qui singulas seorsim interrogent, & de confessione cum iisdem agant, ne ea, verecundia ducat, peccata aliqua reticeant. Monemus autem Superiores quoquinque, & hujusmodi Confessarios, ne Moniales dehortentur aut impe- diant; ne quandoque se alieni peccati aut sacrilegii participes reddant, & severam Deo reddere rationem cogantur, poenasque in Bullis Pontificum contra impedientes incurant.

DECRETUM XXXI.

A Tque hæc sunt, quæ generaliter, pro hac vice, ordinanda duximus. Specialia, quæ ad uniuscujusque aut Ecclesiam aut personam, ex facta visitatione, comperimus spe- ciatore, singuli à Nobis expectabunt.

Lebris Decretis, moniti fuere omnes, qui in prima Synodali Sessione, prioribusque habitis Synodis, professionem fidei nondum præstiterant, ut eandem modo præsent. Cum vero deprehensum fuerit, eam ab omnibus jam præstitam esse; Illusterrimus signo dato, per Officialem, Synodum interrogari fecit, num adhuc aliquis quædam proponenda haberet. Omnibus vero tacentibus, Promotores Synodi, pro conclusione hujus, & inductione proximæ Synodi, institerunt; reliquaque omnia, ad normam, ordinem ac modum Synodi prioris quinque, peracta fuerunt; ipsamque Synodum proximam vernalem die quintæ mensis Martii, anni quinquagesimi secundi, habendam, indicetum fuit; ac proinde hæc præsens, cum benedictione, dimissa.

Et quia ego Ioannes Brogberen I. V. L. & Collegiatæ Ecclesiæ SS. Ioannis Baptiste & Euangelistæ Ratisbonæ Canonicus, & Pastor in Rimfloe, à supramemorato Reverendissimo & Illusterrimo Domino Præside in Actuarium hujus sacræ Synodi deputatus fui, Decretorum Synodalium promulgationi reliquisque in ea pertractatis interfui; idcirco iisdem Decretis, in fidem eorundem, propria manu subscripsi. Acta sunt hæc, anno à partu Virginio M D C L I; Pontificatus sanctissimi Domini nostri Innocentii X, septimo; diebus, mense, & loco, quibus supra; præsentibus Venerabilibus & Eruditis Dominis, Antonio Sollinger & Nicolao Schaberg, Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Vicariis, ac respectivè Sacristano & Notario publico, testibus, ad hoc specialiter requisitus, & fide dignis.

IOANNES BROGBEREN I. V. L. Capellanus major Illusterrimi Osnabrugensis, & Actuarius causarum Ecclesiasticarum, ad hoc specialiter requisitus, subscripsit.

DIOE-